



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermes Theologicvs, Id est Synopsis totius Theologiæ, perspicuè, doctè, subtiliter, ac breviter discussa**

Et In octo Partes ... distincta ...

De Poenitentia Et Reliqvis Sacramentis

**Vindalium, 1646**

Sect. vnica. Pœnitentiæ, qualis sit virtus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38867**

2 TRACTATUS  
eo intrinsecè includuntur. Quare præstat  
de eâ sub ratione & virtutis & Sacra-  
menti disputare.

---

2 SECTIO VNICA.

*Pœnitentia qualis sit virtus.*

**D**Væ sunt præcipuæ sententiæ, Prima  
non esse certam speciem, sed virtu-  
tum omnium globum, seu iustitiam ge-  
neralem quæ virtutes continet omnes.  
Ratio eorum qui ita sentiunt est quia  
pœnitentiæ officium est veluti resarcire  
& reparare errata omnia admissa contra  
virtutes omnes. Hæc est sententia du-  
randi distinct. 14. q. 2.

Secunda sententia est aliorum qui du-  
rant esse virtutem peculiarem & certam  
speciem iustitiæ.

**C O N C L U S I O** I. Pœnitentia est  
certa aliqua virtus, & dolor pœnitentiæ  
est actus certæ alicuius virtutis. Ratio  
est quia alioquin tot species pœnitentiæ  
essent necessariae, quot sunt species pecca-  
torum, quorum nos debet pœnitere vt  
remittantur, at hoc est absurdum, quia  
alioquin non posset aliquem brevi tem-  
pore omnium peccatorum pœnitere.

DE POENITENTIA. CAP. I. §

CONCLUSIO II. Probabile est Poenitentiae virtutem esse iustitiam reparatiuam iuris diuini laesi & eius iuris illaesi conseruatiuam. Ratio est quia eiusdem virtutis est satisfacere pro iniuria illata, seu iure alterius violato, cuius est idem ius integrum conseruare. At datur virtus cuius munus est ius diuinum illaesum conseruare, quae est iustitia saltem impropria, ergo eiusdem virtutis erit pro violatione iuris diuini satisfacere, ergo illa erit virtus poenitentiae.

Obijcies non intercedere virtutem iustitiae inter Deum & hominem. Respondeo distinguendo, & concedendo probabiliter non interuenire propriam & strictam rationem iustitiae; interuenire tamen aliam minus propriam & rigorosam, quae impellit ad ius Dei conseruandum illibatum, & vbi laesum est ad illud reparandum.